

Aliud ar.

eo est: ipsum autem verbum nunquam comburi potest: liber autem comburi potest. Dicunt igitur christiani: christum cum sit verbum dei/filium esse dei. Hoc idem & Mahometus de eo dixit & si neque sciebat/neque intelligebat. Dicit enim in Alcorano in capitulo Elnesa: quod interpretatur/mulieres: quod christus Iesus filius Marię/verbum est dei: & spiritus est dei. Quare igitur non dixit Mahometus: quod impossibile est deum habere verbum vel spiritum/quoniam uxorem non habet? Querendum igitur a Saracenis: ut querant ipsi a Mahometo/ quando dicit christum verbum esse dei & spiritum ex deo: utrum de spiritu vel uerbo dicit de accidentali quod proferunt: vel de essentiali id est creato: Sic non solum verbum & spiritus dei est a deo/ sed & verba & spiritus aliorum prophetarum & aliorum hominum beatorum: Et secundum hoc non magna quedam laus est hec de christo: quem Mahometus proprie & supra omnes homines vult constituere. Sed neque propter talem rationem & tale spiritum pluraliter deus de seipso loquitur: sicut inducuntur in toto Alcorano. Si autem dicit de increato & essentiali verbo dei & spiritu: sicutique nobiscum sentiunt tam de incarnatione/ quam de mysterio trinitatis: Item dicit Mahometus de deo in capitulo Elminim: quod si deus haberet filium: in periculo iam totus mundus esset: Esset enim schisma inter eos. Hec autem suppositio valde falsa est. Supponit enim non possibile esse deum habere filium nisi iniquum & audacem & inobedientem. Nos autem dicimus: quod filius dei est verbum dei/ & scientia patris/ per quam omnia operatur. Verbum autem comprehensum in mente/ & artificis scientia nunquam in homine separatur a concipiente intellectu. Nisi alicui blasphemans Mahometus dicat: dissentire ad seipsum deum & contraria dicere sui ipsius intellectui & cogitationi. Item Mahometus dicit in capitulo Elecat: quod deus & angeli eius orant pro Mahometo & saracenis. Quod quidem est angelorum/ est omitendum: Deus autem quando pro eis orat? Quem orat? Angelos/ vel homines/ vel seipsum? Sed hoc est mendacium: orat seipsum: & maxime secundum Mahometum/ qui verbi incarnationem negat: & neque personarum discretionem ponit in diuinis. Ponit autem & alia mendacia quedam & impossibilia: sicut in capitulo Elasiar dicitur quasi ex persona dei: Si hoc miseris

Aliud mendacium de deo.

Aliud mendacium de deo.

Alia mendacia ex alcorano.